



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Dissertatio XII. De Nuptiis Veterum Prussorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**


domesticis sub extremo vitæ discrimine in conclave illud eo tempore interdicebatur ingressus. Credebatur hoc pacto cacodæmon placari, ne noxam aliquam pecori vel frugibus inferret. Quamplurima alia in Districtu Insterburgensi & Tilsensi se observasse mihi retulit Vir Clarissimus Dn. M. Prætorius, quæ etiam dubio procul in Chronico Prussiæ, quod parat, nobiscum communicabit. Sed & nos in sequentibus Dissertationibus, ubi dabitur occasio, plurima de idololatricis id genus ritibus & ceremoniis dabimus. Hæc verò de festis Veterum Prussorum diebus sufficiant.

## DISSERTATIO XII.

De

### Nuptiis Veterum Prussorum.

- (1.) *Venedi habuerunt conjugia non promiscua & vaga, sed certa. Idem de Gothis & Prussis, quos Ordo Teutonicus domuit, asseritur. (2.) Numerus uxorum apud Prussos. (3.) Gradus Consanguinitatis & affinitatis an fuerint observati. Novercas licebat uxores ducere. Inter plures una uxor erat præcipua, imprimis si esset ex genere Gothico. (4.) Rapiebantur non ducebantur uxores. Emebantur à Parentibus. Servarum instar habebantur. Apud Scythas & Gothos uxores erant indotatæ. (5.) Pœna adulterii. Pœna uxori inobedienti irrogari solita. Tempus luctus defunctæ uxore. Vidua quomodo fieri potuerit Waidelotta. Expositio Liberorum. (6.) Ritus nuptiales.*

I.  Rimos Prussiæ nostræ incolas VENEDOS antiquissimis etiam temporibus legitima habuisse conubia, non absurdè statuitur. Etsi enim Scythæ, quibus & Venedi sunt annumerandi, more multa-



rum gentium barbararum, puta Troglodytarum, Nasamonum, Agathyrsorum, Massagetarum, vagâ ac promiscuâ libidine incertisque connubiis usi fuisse dicuntur, ut vult Alexander ab Alexandro *lib. 4. Gen. Dier. cap. 1.* Non de omnibus tamen hoc Scythiis intelligendum esse, docet Trogi Epitomater Justinus, qui *lib. 2. Histor. cap. 2.* de Scythiis agens: *Uxores, inquit, liberosque secum in planstris vehunt.* quibus verbis disertè Scythiis legitimas propriasque fuisse uxores affirmat. Multò potiori jure id, quod de Scythiis universè dixit Justinus, nos de Venedis asserere possumus, quos proximè ad Germanorum mores accessisse, auctor est Tacitus. Cum enim *in libr. de Morib. German. sub calcem Venedos, Peucinosque & Bastarnas ceteris gentibus Sarmaticis esse moratiores dixisset,* adèò ut ipsi dubium videretur, Sarmatisne an Germanis eos annumerare deberet, addit de Bastarnis: *Procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum sedantur.* Ex hâc igitur causa Bastarnas propiùs ad Sarmatas accedere colligit. De Venedis autem tale quidpiam non habet, sed eos potius ab fecunditate eximit. Quanquam enim illis verbis proximè subjicit: *Venedi multum ex moribus (Sarmatarum) traxerunt. Nam &c.* In Conjugiis tamen diversum quodpiam à Germanis habuisse non notat. Circa Sec. VIII. & IX. à CHRISTI nati temporibus, Venedos connubii jura sanctè coluisse, argumento est, quod apud eos laudabilis mulier esse judicabatur, quæ propriâ manu sibi mortem inferebat, ut in una strue pariter arderet cum viro suo, ut habet Bonifacius Episcopus Moguntinus *in Epistola,* citante Theodoro Zwingero *Volum. 19. Theatr. Vita humana pag. 356. col. 1.* Deindè GOTHOS etiam, qui olim Prussiam coluere, legitimas habuisse conjuges, ex eo cognoscimus, quod fuerunt Germani, quorum severa matrimonia deprædicat Tacitus *in libr. de moribus German. cap. 18.* Sed neque de illis populis, qui sub ipsum Cruciferorum in Prussiam ingressum, hanc terram tenuerunt, dubitare fas est, quin certa inter ipsos fuerint connubia, cum hoc ex jam dicendis satis superque constare possit.

II. Quanquam autem Prussi proprias habebant uxores, in aliis tamen ad legitimum honestumq; conjugium pertinentibus fecundam ipsorum barbariem facillè deprehendas. Ut hic ordine justo  
pro-



progrediamur, de numero Uxorū primo loco nobis agendum  
 erit. Sunt, qui Prussis tres uxores ducere licuisse referunt, ut  
 Hennebergerus habet ex Grunovii *Tract. 2. cap. 3.* Alii antiquis-  
 simis temporibus finitum uxorum numerum apud Veteres Prus-  
 sos fuisse negant, totque ipsis uxores ducere licuisse tradunt, quot  
 emere atque sustentare potuerunt. Et hanc sententiam fovent  
 Polonici Scriptorēs omnes. *Vid. Aeneas Sylvius in Descript. Pruss.  
 in Corpore Histor. Polon. I. Johannes Dlugossus lib. 2. Annal. ad an-  
 num 997. pag. 115. Matthias à Michovia lib. 2. Chron. Polon. cap. 8.  
 pag. 26. Cromerus lib. 3. pag. 443.* Idem habet ex nostris Scri-  
 ptoribus & Schuzius *lib. 1. Chron. fol. 3. b.* Alii denique monog-  
 gamiam à Waidevvuto Prutenorum Rege institutam fuisse refe-  
 runt in quibus sunt, Martinus Murinius *in Chrono. Pruss. cap. 2.  
 pag. 3. fin.* Albertus Wijuk Kojalovicz *Part. 1. Histor. Lithuan.  
 lib. 1.* Nos existimamus, illam Hennebergeri de ternario uxo-  
 rum numero sententiam explodendam esse, cum nullum in mo-  
 numentis vetustioribus habeat fundamentum: Posteriores autem  
 duas conciliari posse manifestum est. Videlicet Venedi antiqui-  
 tūs nullum habuerunt certum uxorum numerum, sed tot ipsis li-  
 cebat, quot libebat, & quot facultates permittebant uxores habere.  
 Gothi autem, ut Germani, una uxore contenti & ipsi fuerunt,  
 & alios eadem lege constringere voluerunt. Sed cum essent,  
 aliis gentilibus hīc locorum habitantibus potentiā minores, ipsi  
 tandem earum, assumpsisse mores videntur, cum usque ad ipsa  
 Cruciferorum tempora Prussi plures habuisse uxores memoren-  
 tur. Manifestum huius rei documentum depromi potest ex Pri-  
 vilegio Prussis veteribus Ann. 1249. à Legato Pontificis Romani  
 concessio, in quo hæc leguntur verba: *Item promiserunt (Prussi)  
 quod duas vel plures uxores simul de cetero non habebunt, sed una so-  
 la contenti cum ipsa contrahent unusquisque sub testimonio competen-  
 ti & matrimonium illud in Ecclesia statatis temporibus solemnitate de-  
 bita publicabitur.* Gothos autem monogamiam in Prussiam,  
 introducere voluisse, testantur Scriptorēs illi, qui primum legis  
 huius, de una uxore ducenda, auctorem faciunt Waidevvutum,  
 Scandianorum sive Gothorum Principem, quem à morationibus



gentibus profectum, feros Prussorum mores emolliisse atque cultiores reddidisse ferunt. *Vid. Albertus Wijuk Kojalovvicz loc. citat.*

III. Deindè si gradus consanguinitatis atque affinitatis respiciamus, nullum hinc discrimen admisisse videntur Prussi, nisi fortè solam excipias matrem. Cum novercis certè licitum ipsis fuisse matrimonium contrahere, idem, quod supra laudavimus, Privilegium nos edocebit, cujus verba sunt: *Inter illos (Prussos) talis consuetudo, sicut intelleximus, inolevit, qualis nec inter gentes, ut videlicet uxorem Patris sui aliquis habeat. Cum enim Pater aliquam uxorem de pecunia communi sibi & filio emerat, hæcenus servaverunt, ut mortuo patre uxor ejus ad filium devolveretur, sicut alia hereditas de bonis communibus comparata. Et ne quis hæc de causa novercam suam possit sibi vendicare ulterius in uxorem, uxores nec vendere nec emere promiserunt. Et post pauca: Unde promiserunt dicti neophyti, quod nullus ex his quacunque de causa novercam suam de cetero ducet in uxorem, vel uxorem fratris sui, vel etiam sibi in 1. 2. 3. & 4. consanguinitatis vel affinitatis gradu attinentem absq; summi Pontificis dispensatione. &c.* Ex quibus liquet, Prussos parùm pensi habuisse, an uxores ipsos aliquo consanguinitatis gradu contingerent nec ne. Sed & apud Lithvanos, qui cum Prussis eandem agnoscunt originem, hoc obtinuisse, ut novercam uxorem ducere liceret, testatur Matthias à Michovia *lib. 4. Chron. Polon. cap. 45.*

IV. Sed nec modus uxores ducendi legitimus erat. Si enim Johanni Meletio fides est, & non tam ducebantur illæ quondam quam rapiebantur, veteri Lacedæmoniorum more à Lycurgo instituto; idque non sponsus ipse, sed duo sponsi faciebant consanguinei. Postquam autem jam essent raptæ, tum primum requisito parentum consensu matrimonium contrahebatur. *Vid. Johann. Melet. in Epistola de Religione Borussor. ad Georgium Sabinum.* Et quidem non solebat Socer genero dotem cum filia dare, ut nunc moris est in Europa, sed contra sponsus dotem dabat Socero suo, quod ipsum sine dubio Prussi habuerunt à Scythis & Gethis, de quibus Horatius *lib. 3. Carm. Od. 24.*

Nes



*Nec dotata regit virum  
 Conjux, nec nitido fudit adultero.  
 Dos est magna parentium  
 Virtus, & metuens alterius viri  
 Certo fœdere castitas.*

Idem & de Gothis, quos eosdem ac Gethas multi volunt, refert Johannes Loccenius *lib. 1. Antiqu. Sveo-Goth. cap. 1. & lib. 2. cap. 24.* De Tartaris sive Scythis Asiaticis, qui hunc ipsum morem receperunt, *vid. Marcus Paulus Venetus lib. 1. de Regionibus Orientalibus. cap. 55. & 62.* Cæterum præter hæc aliud quidpiam, hic observamus, quod Prussis cum Gothica gente non videtur fuisse commune. Hoc enim quod à genero dabatur focero, erat precium, quo ille sibi uxorem, non secus atque aliam servam emebat. Quapropter etiam eam non ut liberam, sibi que parem, sed ut servam, habebat, adeò ut uxor hospitibus & domesticis pedes lavare, omniaque servilia opera suscipere cogeretur. Quid, quod ne mensæ quidem suæ Prussi suas uxores faciebant consortes. Habemus horum omnium luculenta fatisque idonea in antiquis monumentis testimonia. Dusbürgensis certè noster disertè: *Secundum antiquam, inquit, consuetudinem hoc habent Pruteni in usu adhuc, quod uxores suas emant pro certa pecuniæ summa. Unde servat eam sicut ancillam, nec cum eo comedit in mensa, & singulis diebus domesticorum & hospitum lavat pedes.* Hæc Dusbürg. *Part. 3. Chron. cap. 5.* Plura ea de re habet Privilegium supra jam aliquoties citatum, in quo illud maximè observandum, apud veteres illos Prussos moris fuisse, ut mortuo parente, uxores etiam ejus ad filios simul cum alia hæreditate devolventur: Verba Privilegii dedimus num. III. quibus addimus & hæc: *Promiserunt etiam (Prussi) quod nullus eorum de cætero filiam suam vendet alteri matrimonio copulandam, & quod nullus uxorem filio suo emet vel sibi.* Sed & hoc notant Scriptores nonnulli Prussos sibi uxores emere solitos, aut pecuniâ, (quod ego de ultimis temporibus, quibus ipsis usus pecuniæ jam innotuerat, interpretor) aut frumento, aut pecore, aut etiam aliis rebus, in quibus divitias suas antiquitus Prussi ponebant. *Vid. Thomas Waisselius in Chron. fol. 24.*

V. Inter



V. Inter plures illas uxores una honoratior habebatur, præsertim si esset Gothici sanguinis, quod Hennebergero facile credimus etiam injurato; illud verò, quod, Grunovium suum, secutus, asserit, Prussos suis uxoribus alternatim sive per vices usos, & quidem vel in publico, fidem apud nos non meretur, cum nullâ veterum monumentorum auctoritate sit firmatum. *Vid. Henneberg. de Vet. Pruss. fol. 16. sequ.* Conjugia ipsa Prussos inter fuere satis casta. Siquidem adulteros comburere mos erat, & quidem procul à conspectu Deorum, id est, extra urbem Removam aliaque loca Diis sacra: Cineres etiam ipsorum in publicam spargebantur viam; Liberi denique ex adulterio procreati ad sacerdotia non poterant admitti. *Henneberg. fol. 17. b. ex Grunov. Tractat. 2. cap. 5.* Ne autem viris ansa præberetur, illicitos amores quærendi, illud severissimè ab uxoribus exigebatur, ne viris debitum conjugale denegarent, alioqui poterant ad rogam condemnari. Et, quod mireris, etiam sorores hujus uxoris omnibus despectui atque ludibrio erant, quod sororem non docuerant quemadmodum obedientiam Deo maritoque præstare deberet. *Henneberg. loc. citato.* Uxorem mortuam, non nisi ocliduo maritus lugebat: Postero autem die adducebatur ipsi ancilla, quam deindè tori faciebat consortem, nisi aliæ quædam intervenirent causæ, quæ matrimonium impedirent. Uxor verò, si maritus obiisset, nullâ prole susceptâ, eousque juvenibus copiam sui faciebat, donec aut filium aut filiam peperisset; quo factò, in sacrum recipiebatur ordinem, vocabaturque Waidelotta. *Henneb. loc. cit. ex Grunovio.* Quod ad liberos ex conjugis ejus generis susceptos attine, illos Parentibus licebat aut alere, aut exponere, aut etiam prorsus enecare. Colligo id ex Privilegio supra citato, cujus verba sunt: *Et quod nullus filium suum vel filiam quacunq; de causa per se vel per alium abjiciet, vel occidet, de cætero publice vel occultè vel ab alio talia quocunq; modo fieri consentiet vel permitset.* Hæc enim Christiani non prohibuissent, nisi talia Veteribus illis Prussis in more fuisse cognovissent. Comprobat sententiam meam immane factum Galindorum, qui sœmellas omnes in lucem editas interfici jusserunt, servatis masculis bello idoneis. *Vid. Dusburg. Part. 3. Chron. cap. 4.* Ex quibus etiam colligitur, masculos



masculos potiores ipsis fuisse, quam femellas. Ex quâ etiam ratione mulieres eousque habebantur virgines, donec peperissent masculam sobolem, ut ex mox dicendis apparebit.

VI. Ante autem quam materiam hanc de Connubiis Veterum Prussorum obſignemus, operæ precium nos facturos arbitramur, si quædam de ritibus in Nuptiis celebrandis observari solitis addiderimus. Videlicet Sponsa priusquam à sponso domum duceretur, consanguineos suos omnes ad convivium invitabat. Cum illi convenissent, à cœna ipsos rogabat, ut secum, virginitatem eousque conservatam deflerent: Annuentibus illis, sponsa sic lamentationes ordiebatur: *O hue, o hue, o hue, quis? quis patri & matri meæ lectum postea sternet? quis ipsorum pedes lavabit? quis ignem servabit? Charissime catelle, charissima gallinula, succula &c. quis vobis deinceps pabulum præbebit?* Finitis his, deducebant eam cognati ad focum, ubi lamentationem suam denuò repetebat his ferè verbis: *O hue, o hue, o hue, moy mily Swenty Ponike*, id est: *mi chare sancte ignis, quis in posterum ad te alendum ligna portabit, ut pater, ut mater membra sua ex sanguine queant calore fovere? quis te in posterum conservabit?* Similes lamentationes ingeminabant consanguinei; solabantur tamen subinde sponsam, ne nimium luctui indulgeret. Cum deinde Sponsa deducenda erat ad Sponsum, mittebatur ei obviam currus, cui illa insidens ad Sponsum vehebatur. Appropinquanti ad ædes Sponsi, effuso cursu aliquis obviam procurrebat, alterâ manu torrem sive lignum accensum, alterâ vas aliquod cerevisiâ plenum tenens, sicque lymphatico more ter circum currum curſitabat, hæc clarâ voce ingeminans: *Quemadmodum ignem apud parentes tuos conservasti, sic etiam in domo Sponsi tui facias.* His dictis cerevisiâ Sponsæ tradebat ebibendam. Agitator, qui curru insidebat, eleganter vestitus, dicebaturque Prussicâ lingvâ *kellewese*. Simulac ille ad fores ædium Sponsi pervenerat, quam citissimè poterat, eqvum vel currum deserebat, acclamantibus hospitibus in Sponsi domo consistentibus: *kellewese periothe, kellewese periothe*, id est: *Auriga venit, auriga venit*, ut hæc exponuntur in Chronico Dietmari. Ille inter hæc relicto curru atque equis in domum sponſi irrumpebat, fellamque in-

aa

hunc



hunc finem jam paratam, & pulvinari, cui mantile impositum, erat, ornatam, occupare nitebatur. Quodsi primo saltu in sella se collocare non poterat, pugnis exceptus per alias fores ab hospitibus domo eiciebatur: Sin primo saltu sellam occupaverat, mantile in præmium laboris accipiebat. Sponsæ verò ab hospitibus exceptæ, in eâdemque sellâ collocatæ Patera cerevisiæ plena propinabatur, quo factò sublata Sponsa deducebatur ab iisdem ad focum, agitatore dictam sellam portante. Ad focum iterum sellæ Sponsa imponebatur, sedentique pedes abluebantur. Sub hæc eâdem aquâ conspergi solebant hospites, lectus genialis, greges & armenta, & tota domestica suppellex. Tum Sponsæ oculi, more gentium multarum, obnubebantur flammeo, osque melle oblinebatur. Velatis dein oculis deducebatur ad singulas ædium fores, quas dextro contingere ac pulsare pede jubebatur his verbis: *Tranke, Trauke*, id est: pulsa, pulsa. Ad singulas januas conspergebatur tritico, filigine, avenâ, hordeò, fabis, pis & papavere. Siquidem semper sequebatur Sponsam, qui saccum omni genere frumenti plenum portabat, ipsamque conspergens dicebat, nihil horum sponsæ defuturum, si religionem piè cultura, remque domesticam eâ quâ decet, diligentiam esset curatura. His ita peractis removebatur Sponsæ flammeum ab oculis, conviviumque instruebatur. Noctu cum Sponsa deducenda erat ad thalamum, ex consanguineis unus ei capillos præcedebat. Tum feminae præsentis sertum (Prussorum lingvâ *abgloyte* dictum) Sponsæ imponebant niveo linteolo adornatum, hæc acclamantes verba: *Filia est caro de carne tua, hoc igitur sertum gestabis tantisper, dum filium pepereris; hoc simulac fuerit factum, virginitas tua finem habebit.* Posthæc ad thalamum Sponsa deducebatur, in quem nonnisi miserè pulsata & fustibus excepta conjiciebatur, sicque in sponsi concedebat potestatem. Hic loco bellariorum testiculi caprini, vel urfina apponebantur, quibus ipso nuptiarum die manducatis conjuges credebantur sæcundæ reddi. Eadem de causâ nullum animal castratum in nuptiis macrabatur. Ad extremum honestissimæ quæque matronæ Sponsam instruebant, quomodo se erga maritum gerere deberet. Proximo die repotia celebrabantur, ita ut antequam neonymphis alii cibi appo-



apponerentur, reliquias dictorum bellariorum comederent. *Vid.* Johann. Melet. *post med.* & Thomas Waissel. *fol. 24.* Ex his quæ hæcenus enumeravimus, multa etiam Ordine Teutonico Prussiam administrante à Prussis veteribus observabantur, quin & hodiè in magno Ducatu Lithvanix lamentationes dictæ non sunt, infrequentes: adeò difficulter consuetudines, quæ semel inoleverunt, exolescunt.

## DISSERTATIO XIII.

De

### Funeribus Veterum Prussorum.

- (1.) Prussi egrotos servos, Infantes, Parentes item proprios è medio tollebant. (2.) Egrotum visitantes amici strenuè potabant. Defunctis ablutis inq; sellâ erecto corpore collocatis cerevisiam propinabant. Lessus funebris. Munera defuncto data. (3.) Ritus, quibus funus efferrebat. (4.) Utrum cadavera fuerint combusta, an verò humata. Urne ossibus semiustis plene in Prussia multis in locis inveniuntur. Gothi ab Odino habent ritum cadavera comburendi. Apud Gothos & Romanos & humandi & comburendi ritus obtinebant. (5.) Loca sepulture Prussice. Tumuli, qui etiam nunc visuntur. An alii eminentiores, alii depressiores? (6.) In rogam imponeretur cadaver, deinde vestes preciosæ, canes venatici, equi, servi. Uxores etiam seipsas in rogam precipitabant. Cibus & potus, ut & pecunia sepulcris illata usque ad tempora Alberti. Conciones funebres an fuerint olim in usu. Eadem omnia Gothis Svedicis non ignota. (7.) Luctus post funerationem. Convivia funebria & comotationes apud Prussos, Gothos, Scythas. (8.) Immortalitatem anime crediderunt Prussi. An